HONORIUS AUGUSTODUNENSIS, UNVOLLSTäNDIG

Entstehungsort unbestimmt, 12. Jh.

Seite 46r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35480
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

signatos designamus. Tituli ideo in lectionibus recitantur, ut auctores
celestis doctrine et cives superne Ierusalem cognoscantur. Sed quia neophiti illius
civitatis cives adhuc ignorant, ideo lectores titulum minime pronun-
ciant. Quatuor autem lectiones propter quatuor huius diei sacramenta legun-
tur. Et quia quatuor genera fidelium scilicet simplices, intelligentes, provecti,
sapientes quatuor modis videlicet per hystoriam, per allegoriam, per tropologiam, per
anagogen erudiuntur. Prima lectio requiem Christi in sepulchro exprimit et nobis
eternam requiem per baptismum reddidit. Sicut Noe prime etati per dilu-
vium requiem hominibus tribuit. Sicut enim deus septima die ab omni opere
requievit, et Christus sabbato in sepulchro quievit, ita ecclesia in septima etate
ab omni labore persecutionum cessabit. Secunda lectio regnationem ecclesie insinuat,
que transitum populi per mare narrat. Tercia Christi et ecclesie coniunctionem innuit,
que septem mulieres unum virum apprehendisse dicit. Ecclesia namque septem
donis spiritus sancti repleta est uni viro Christo copulata. Quarta celeste reg-
num denunciat, quod ecclesia sibi a Christo dari sperat. Dicit enim: Hec est heredi-
tas servorum domini.

De mensa tabernaculi

Mensa in tabernaculo
domini erat quatuor pedibus fulta, per quam designatur sacra scriptura, qua-
tuor superdictis modis instructa. Que mensa hodie neophitis proponi-
tur, dum quatuor lectionibus instruuntur. Primus pes est hystoria, secundus alle-
goria, tercius tropologia, quartus anagoge. Historia est que res gestas
narrat. Allegoria que per rem gestam aliud indicat. Tropologia que
mores instruit. Anagoge que sensum ad superiora ducit. Prima lectio
In principio creavit deus per hystoriam simplices erudit, que primam hominis
creationem dicit. Deinde sacerdos in oratione postulat, ut in cathecumi-
nis deus imaginem suam quam primis hominibus creavit restituat. Secunda
lectio Factum est in vigilia matutina intelligentes per allegoriam
imbuit, que egyptios in mari submersos et hebreos salvatos dicit.
Designantur peccata et demones submersos, fideles vero in baptismate sal-
vatos. Unde canticum victorie Cantemus domino mox sequitur, quia hodie
hoste devicto populus ereptus letatur. Sacerdos in oratione precatur, ut sicut illi

Mensa tabnaculi.